QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

MANÈ DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis vigesimo-secundo Martii 1714.

M. ANTONIO DE SAINT-YON,

DOCTORE ET MEDICO REGIS ORDINARIO VETERANO, PRÆSIDE.

An Morbis Chronicis Equitatio?

I.

MORBUM omnem naturæ conamen dicas, Medicum naturæ ministrum; hic enim & illa junctis viribus morbi fomitem ac materiam in ægri salutem expellere intendunt. Morbi materiem non causam intellige succos solidorum vitio vel lentescentes, undè Chronici; vel concitatiori motu abreptos, undè Acuti generantur. In his solidorum vividiores impetus, in illis tardiores accusa. Utrosque commisit primùm mutata fibrarum occillatio, jam natos fovet ulteriùs, victos tandem convenientibus auxiliis restituta debellabit. Quos igitur genuina declarant morborum Chronicorum symptomata succos acriores, salsos, muriaticos, adustos, aut lutulentos, morborum fœtus non parentes agnosce. Hos imminutus fibrarum elater, aut laxitas invexit; hinc tardigrados, spissiores, moveri nescios, & in ipsis partium aut viscerum penetralibus stagnantes sub morbis Chronicis succos mirari desine; hos non dierum, sed mensium aut annorum circuitu moveri. Pauci admodùm sui ipsorum parentes, plures ex Acutis decidui: sic Paralysis Apoplexiæ, Pectoris affectibus Tabes, Ictero Ascites, plerisque Melancholia succedit. Naturam sub pondere gementem, hostiquè expellendo vix parem juvare cogitas? deperditum in vasis tonum restituere aggrediaris. Sed eheu! quàm incerta his in casibus medicamentorum actio! quàm infelix eventus! hæc esse certò nocitura,

vix unquàm profutura expertus animadvertas. Quodnam igitur auxilii genus adhibendum sit, dubius & anceps requiris? in debito rerum non-naturalium usu conquiesce. His Chronicorum medelam contineri monstrat corporis œconomia, usus confirmabit. Artis verò Gymnasticæ peritus imprimis, exercitationis genus illud eligas, quod solidorum laxitatem emendet, impactos hærentesquè succos fluxiles reddat suis colatoriis secernendos & excernendos.

I I.

CORPORIS motus consueto & familiari vehementior est? naturam immutare valet? hunc exercitationem appella. Vel propriis illa viribus perficitur, vel alienis: propriis ambulatio, cursus, saltatio, &c. alienis equitatio, vectio, navigatio &c. Quin etiam indè totum corpus, vel hanc potiùs quam illam corporis partem peculiariter exerceri necessum est: hinc multiplex exurgit exercitationis species, motûs particeps, laboris expers, optimis ac pretiosissimis quibuscunque Medicinis anteponenda; sanitatem quippè tuentur, morbos expugnant. Suæ veteribus erant exercitationes, suæ sunt nostris hominibus usu hodierno receptæ. Priores obsoleverunt, hodiernæ solâ voluptatis, nullâ sanitatis curâ excoluntur: ferè omnes, proh dolor! Medicis de nomine quàm de facie notiores. Quid indè boni vel mali corpori eveniat fortasse ignoras? sanitatis & vitæ causas scrupulosiùs perpende. Solidarum, fluidarumquè corporis partium motu alterno & reciproco utraque conservatur, impedito utraque labefactatur. Hinc desidis & exercitatæ vitæ commoda vel incommoda conjicito. Quæ motu & labore firmantur, otio languescunt & emolliuntur corpora, enervatur fibrarum tonus, sanguinis & humorum circuitus impeditur, retinentur excernenda in visceribus & partibus obstructionum & ægritudinum mille fomites ac materiæ. De his dubitas? propria contemplare Chronicorum symptomata, fibrarum remissi elateris, sanguinis & liquorum motûs imminuti totidem indicia. Hæc excernendis auctam & inquinatam succis sanguinis molem indigitant; lutulentum ac cruentum in vasis liquamen, non verum cruorem; succum igneum & adurentem, non benignum, non amicabilem; stagnantem ubique & moveri nescium, non æqualiter, non placidè fluentem. Tot malorum causam agnosce solidorum segnitiem ac torporem: nimio pondere oppressa silent ad resistendum imparia. Hinc tam longo, tamquè vario symptomatum agmine sub morbis Chronicis ægros confici minùs obstupescas. His mederi frustrà tentabis, nisi blando ac repetito corporis succussu solidorum vis intendatur, aut firmior reddatur elater. Indè vasorum occillatio major, sanguinis circuitus expeditior, crassiorum particularum citior attenuatio, promptior excretio, evaporatio celerior, Chronicorum deniquè morborum medela facilior ac securior.

I I I.

EXERCITATIONES alienis viribus peragendas Equitatio nobilitate superat, vincit utilitate. Talem appello non quæ citatiore gradu perficitur, meliùs inter rusticorum labores, quàm nobilium exercitationes reponenda: his titulis donanda venit blanda & ex ordine composita Equitationis species. Sola hæc ex omnibus solidas inter & fluidas corporis partes æquilibrium conservare, sola deperditum valet restituere. Hujus ope suus villis contractilibus, quibus vasa constant, conciliatur elater, sua liquoribus fluxilitas perennatur. Hoc exercitationis

genere sanguinem magis ac magis attenuari ne dubites. Nullâ arte meliùs è glandulosis partium tubulis viscidi ac crassi humores excutientur, aut in cavitates iis colligendis & excernendis à naturâ factas deponentur. Hinc Colicâ biliosâ & vehementissimâ à pluribus annis vexatos, hinc viros Hypochondriacos, Hystericas mulieres, aut Diarrhœâ colliquativâ in Tabidis, Phthisicisquè certò venturæ mortis prænuntiâ affectos, Equitationis beneficio ab orci faucibus ereptos, vitam cum morte commutasse veterum & recentiorum testantur monumenta. Quin etiàm Podagrici, si equo utantur, horrendis hujus morbi insultibus minùs obnoxii, si non sanantur, saltem leviùs laborant. Intermittentibus & lentis febribus, cachectico corporis habitui Equitationem convenire suadet ratio, evincit experientia. Hâc exercitationis specie, citrà ullum ferè virium dispendium, sanguis & universa musculorum series æqualiter movetur. Hinc fibrarum corrugatio inducitur, subtilior ac fluidior redditur sanguis, secretiones renovantur, noxia excernuntur, inutilia per patentiores poros avolant & dissipantur, utilia sanguineæ moli aliquâ sui parte imminuta remiscentur.

I V.

TAM stupendos ac prorsùs mirabiles effectus Equitationi prudenter institutæ deberi si dubitas, ad mechanicam corporis humani compagem attende. Viscerum imprimìs quæ in abdominis capacitate delitescunt, naturam & usum scrutare accuratiùs. Hæc glandularum prodigiosam segetem, vasorum omnis generis mille complicationes ac curvaturas offerent. Æquali nec interrupto per hasce partes liquidorum itui reditui-vè præcipuas œconomiæ animalis actiones deberi miraris? his tamen succorum omnis præparatio ac secretio perficiuntur. In visceribus velut totidem officinis sanguini præterlabenti novum caracterem imprimi conjicito. Eorum fibræ systaltico suo motu cordis vim æmulando, impressum ab eo liquidis motum servant ulteriùs, nec retardari patiuntur. Hinc ad morbos Chronicos ab ejusmodi systole in visceribus interruptâ natos quanti momenti sit Equitatio, artis Gymnasticæ prudens facilè sibi persuadeat. Qui enim tam elanguidus ac flaccéscens in visceribus fibrarum tonus concipiatur, blandâ hâc corporis agitatione non restituendus? quæ & quanta functionum perversio, aut organorum naturalis impotentia fingi potest; qualis succorum stagnatio, aut partium obstructio excogitari, cui tot succussationum eodem die repetitarum millia opem conferre non valeant salutarem? In imum Equitantis ventrem, cæteris partibus vix indè commotis, equi succussio terminatur. Viscerum indè omnium & abdominis præsertim, succorumquè quos recondunt motus imminuti restituuntur, impediti suscitantur; quidquid viscosi glandulis inhæret, excutitur; sua separandis humoribus libertas asseritur, sanguis deniquè diuturnis Equitationibus indesinenter exagitatus ac repurgatus quasi renovatur.

V.

MORBORUM itaque Chronicorum sedem præcipuam abdomine contineri existimes. Viscerum eo contentorum infarctum accusa? hunc solvere frustrà Medicamentorum ope aggrediaris, nisi solidorum & liquorum naturam ad rectum ordinem reducas. A perturbato hæc inter & illa æquilibrio quæ nascuntur vitia, emendabit fibrarum laxitas in pristinam soliditatem restituta. Liquida

placidè current, si solida tensa fuerint, & debito elatere instructa. Hanc in solidis vim deperditam aut imminutam restituet Equitatio. Sic in Colicâ pertinaci, hoc exercitationis genere pristinas resumendo occillationes mesenterii fibræ diuturno dolore relaxatæ, morbosæ materiei expellendæ fiunt aptiores. Novi specifici Antiphthisici nomen undè meruit Equitatio? ratio in promptu est; consumptionem illam non merè phthisicam seu à pulmonum vitio unicè pendere, sed potiùs hypochondriacam atrophico-hecticam existere sæpiùs observabis: hypochondria verò præ cæteris partibus Equitatione magis affici quis neget? Moles igitur sanguinea indesinenti agitatione de novo comminuta depurari gestit, crudum subigitur, superfluum per insensiles vias dissipatur & avolat, obstructionibus viscera liberantur, ventriculo robur accedit, feliciùs absolvitur digestio. In morbis Chronicis conferunt ad thermas & acidulas peregrinationes institutæ? hunc effectum itineris laboribus, & ipsius potatoris motui, non solis aquis sæpè tribuendum esse non malè conjicias. Id emolumenti à tremulo viscerum motu repetas, quem, si Equitationi ferendæ impar fuerit ægrotans, vectione in rhedâ excitare allaborabis. Equitationis in morbis Chronicis adhibendæ hæc esto regula. Evacuationes debitæ priùs celebrentur. Eâ semel institutâ, nisi post multos dies æger non desistat. hic si juvenilem ætatem prætergressus fuerit, plus huic exercitio temporis impendat, quàm puer aut juvenis. Equitationem fortiorem fugiant huic exercitio minùs assueti. Ab eâ abhorreant imprimìs Nephritici & calculo laborantes. Qui verò morbo Chronico detentus huic exercitio ferendo par erit, equo vehendum se curandumquè tradat, minora primùm, majora deindè in dies spatia gradatim in aëre salubri emensurus. Nullam interim sive ciborum, sive potûs, sive etiam aëris rationem habeat. Viatorem indiscriminatim omnia prout fors dederit excipientem æmuletur. In eâdem exercitationis mensurâ mensibus aliquot perseveret. His servatis sanitatem amissam, quin etiam validum, vegetumquè corporis habitum tandem aliquandò recuperabit.

Ergò Morbis Chronicis Equitatio.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS BAILLY, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1714.

Typis JACOBI QUILLAU, Universitatis, & Facultatis Medicinæ Typographi.